

Cerdoniani a Cerdone quodam nominati, qui duo contraria principia asseruit.

Marcionistæ a Marcione stoico philosopho appellati: qui Cerdonis dogma secutus, alterum bonum, alterum malum Deum asseruit, tanquam principia creationis et bonitatis.

Artotyritæ de oblatione vocati: panem enim et caseum offerunt dicentes, a primis hominibus oblationem a fructibus terræ, et a fructibus ovium fuisse celebratam.

Aquarii appellati, eo quod aquam solum offerunt in calice sacramenti.

Severiani a Severo exorti vinum non bibunt: Vetus Testamentum, et resurrectionem non recipiunt.

Tertiani e Tertiano quodam vocati, qui et Encratitæ dicti, quia carnes abominantur.

Alogii vocantur tanquam sine verbo: Logos enim græce, verbum dicitur. Deum enim, Verbum non credunt, respuentes Joannis Evangelium, et Apocalypsin.

Cataphryges nomen provincia Phrygia dedit; quia ibi existerunt. Auctores eorum Montanus, Prisca, et Maximilia fuerunt. Hi adventum Spiritus S. non in Apostolos, sed in se traditum asserunt.

Cathari propter munditiam ita se nominaverunt, gloriantes enim de suis meritis, negant pœnitentibus veniam peccatorum: viduas, si nupserint, tanquam adulteras damnant, mundiores se cæteris prædicant. Qui nomen suum si cognoscere vellent, mundanos se potius, quam mundos vocarent.

Pauliani a Paulo Samosateno exorti sunt, qui dixit, non semper fuisse Christum, sed a Mariæ sumpsisse initium.

Hermogeniani ab Hermogene quodam vocati, qui materiam non natam introducens, Deo non nato eam comparavit, matremque elementorum, et Deum asseruit: quos Apostolus improbat elementis servientes.

Manichæi a quodam Persa existerunt, qui vocatus est Manes. Hic duas naturas, et substantias introduxit, id est bonam, et malam, et animas ex Deo, quasi ex aliquo fonte manare asseruit: Testamentum Vetus respuit, Novum ex parte recepit.

Anthropomorphitæ dicti pro eo, quod simplicitate rustica Deum habere humana membra, quæ in divinis Libris scripta sunt, arbitrantur: anthropos enim græce, latine homo interpretatur, ignorantibus vocem Do-

mini, qui ait, Spiritus est Deus, incorporeus est enim; nec membris distinguitur; nec corporis mole censetur.

Hierarchitæ ab Hierarcha auctore exorti, monachos tantum recipiunt: conjugia respuunt: regna cœlorum parvulos habere non credunt.

Novatiani a Novatiano Romæ urbis presbytero exorti, qui adversus Cornelium cathedram sacerdotalem conatus invadere, hæresin instituit, nolens apostatas suscipere rebaptizatos.

Montani hæretici dicti, quod tempore persecutionis in montibus latuerunt, qua occasione se a Catholicæ Ecclesiæ corpore diviserunt.

Ebionitæ ab Ebione dicti, sive a paupertate, Christum enim per profectum solum, virum justum putant effectum. Unde competenter Ebionitæ pro paupertate intelligentiæ appellati sunt. Hi enim semijudæi sunt: et ita tenent Evangelium, ut legem carnaliter servant adversus quos Apostolus ad Galatas scribens, invehitur.

Photiniani a Photino Gallogræciæ Syrmii Episcopo nuncupati, qui Ebionitarum hæresin suscitans asseruit, Christum a Maria per Joseph nuptiali coitu fuisse conceptum.

Aeriani ab Aerio quodam nuncupati sunt, qui offerre sacrificium pro defunctis spernunt.

Ætiani ab Ætio sunt vocati: iidemque Eanoniani ab Eunomio quodam dialectico Ætii discipulo, ex cujus nomine magis innotuerunt; dissimilem Patri asserentes Filium, et Filio Spiritum S. Dicunt etiam nullum imputari peccatum in Fide manentium.

Origeniani ab Origene auctore exorti sunt dicentes, quod non possit videre Filius Patrem, nec Spiritus Sanctus Filium. Animas quoque in mundi principio peccasse dicunt, et pro diversitate peccatorum e cœlis usque ad terras diversa corpora, quasi vincula meruisse, eaque causa factum esse mundum.

Noetiani a quodam Noeto vocati, qui dicebant Christum eundem esse, et Patrem, et Spiritum Sanctum, ipsamque Trinitatem in officiorum nominibus, non in personis accipiunt. Unde et Patipassiani vocantur, quia Patrem passum dicunt.

Sabelliani ab eodem Noeto pullulasse dicuntur: cujus discipulum perhibere esse Sabellium, ex cujus nomine nomen sortuerunt: unde Sabelliani vocati. Hi

unam personam Patris, Filii, et Spiritus Sancti astruunt.

Ariani ab Ario Alexandrino presbytero sunt orti, qui coæternum Patri Filium non agnoscens, diversas in Trinitate substantias asseruit, contra illud, quod ait Dominus, Ego et Pater unum sumus.

Macedoniani a Macedonio Constantinopolitano episcopo dicti sunt, negantes, Deum esse Spiritum Sanctum.

Apollinaristæ ab Apollinare vocati sunt, dicentes Christum corpus tantummodo sine anima suscepisse.

Antidicomaritæ appellati sunt pro eo, quod Mariæ virginitati contradicunt, asserentes, eam post Christum natum viro suo esse commistam.

Metangismonitæ, ideo tale nomen acceperunt, quia aggos græce, vas dicitur. Asserunt enim, sic esse in Patre Filium, tanquam vas minus intra vas majus.

Patritiani a quodam Patritio nuncupati sunt, qui substantiam humanæ carnis a diabolo conditam dicunt.

Colluthiani a quodam Collutho nominati, qui dicunt, Deum non facere mala contra illud, quod scriptum est, Ego Dominus creans mala.

Floriani a Floriano, qui e contrario dicunt, Deum creasse mala, contra hoc, quod scriptum est: Fecit Deus omnia bona.

Donatistæ a Donato quodam Afro nuncupati, qui de Numidia veniens totam pene Africam sua persuasione decepit, asserens, minorem Patri Filium, et minorem Filio Spiritum Sanctum, et rebaptizans Catholicos.

Bonosiani a Bonoso quodam episcopo exorti produntur, qui Christum Dei Filium adoptivum, non proprium asserunt.

Circumcelliones dicuntur, eo quod agrestes sunt, quos Scototopicos vocant, supra dictæ hæresis habentes doctrinam. Hi amore martyrii semetipsos perimunt, ut violenter de hac vita discedentes, martyres nominentur.

Priscillianistæ a Priscilliano vocati, qui in Hispania ex errore Gnosticorum, et Manichæorum permitum dogma composuit.

Luciferiani a Lucifero Sardinia episcopo orti, qui episcopos Catholicos, qui Constantii persecutione perfidiæ Arianorum consentientes erant, et postea correcti in Catholicam Ecclesiam redire delegerunt, damnant, sive quod crediderant, sive quod se credidisse simulaverant, quos Ecclesia Ca-

tholica materno recepit sinu, tanquam Petrum post fletum negationis, hanc illi matris charitatem superbe accipientes, eosque recipere nolentes, ab Ecclesiæ communione recesserunt, et cum ipso Lucifero auctore suo, qui mane oriebatur, cadere meruerunt.

Jovinianistæ a Joviniano quodam monacho dicti, asserentes, nullam nuptiarum, et virginum esse distantiam, nullumque inter abstinentes, et simpliciter epulantes esse discrimen.

Helvidiani ab Helvidio nominati, qui dicunt, post Christum natum, alios Mariam filios de viro suo Joseph peperisse.

Paterniani a Paterno quodam exorti, inferiores partes a diabolo factas opinantur.

Arabici nuncupati, eo quod in Arabia exorti sunt, dicentes, animam cum corpore mori, atque in novissimo utrumque resurgere.

Tertullianistæ dicti a Tertulliano presbytero Africanæ provinciæ civitatis Carthaginiensis, animam immortalem esse, sed corpoream prædicantes, et animas peccatorum hominum post mortem in dæmones verti putantes.

Tessarescdecimatæ dicti, quod decima quarta luna Pascha cum Judæis observandam contendunt, nam Tessares quatuor, deka decem significat.

Nyetages a somno nuncupati, quod vigiliis noctis respuant, superstitionem esse dicentes, jura temerari divina, qui noctem ad requiem tribuit.

Pelagiani a Pelagio monacho exorti. Hi liberum arbitrium divinæ gratiæ anteponunt, dicentes sufficere voluntatem ad implenda jussa divina.

Nestoriani a Nestorio Constantinopolitano episcopo nuncupati, qui B. Mariam Virginem non Dei, sed hominis tantummodo matrem asseruit; ut aliam personam carnis, aliam faceret deitatis: nec unum Christum in verbo Dei, et carne credidit, sed separatim atque se junctim alterum filium Dei, alterum hominis prædicavit.

Eutyehiani dicti ab Eutyche Constantinopolitano abbate, qui Christum post humanam assumptionem negavit existere in duabus naturis, sed solum in eo divinam asseruit esse naturam.

Acephali dicti, id est sine capite. Nullus enim eorum reperit auctor, a quo exorti sint. Hi triura Chalcedoniensium capitulorum impugnatores, duarum in Christo subs-

tantiarum proprietatem negant, et unam in ejus persona naturam prædicant.

Theodosiani, et Caianitæ appellati a Theodosio, qui temporibus Justiniani principis in Alexandria, populi perversi electione, una die ordinati sunt episcopi. Hi errores Eutychetis, et Dioscori sequentes, Chalcedonense concilium respuunt; ex duabus unam in Christo naturam asserunt; quam Theodosiani corruptam, Caianitæ incorruptam contendunt.

Agnoitæ, et Tritheitæ, a Theodosianis exorti sunt, ex quibus Agnoitæ ab ignorantia dicti; quia ad perversitatem, a qua exorti sunt, id adjeiunt, quod Christi divinitas ignoret futura, quæ sunt scripta de die, et hora novissima, non recordantes Christi personam in Esaia loquentis: Dies judicii in corde meo.

Tritheitæ vero vocati, quod sicut tres personas in Trinitate, ita quoque tres asserunt Deos esse, contra illud, quod scriptum est: Audi Israel, Dominus Deus tuus, Deus unus est.

Sunt et aliæ hæreses sine auctore, et sine nominibus. Ex quibus aliæ putant, tritorem esse Deum: aliæ Christi divinitatem passibilem dicunt: aliæ Christi de Patre nativitate initium temporis dant; aliæ liberationem hominum apud inferos factam Christi descensione non credunt; aliæ animam imaginem Dei negant; aliæ animas converti in dæmones, et in quæcunque animalia existimant; aliæ de mundi statu dissentiunt; aliæ innumerabiles mundos opinantur; aliæ aquam Deo coæternam faciunt; aliæ nudis pedibus ambulant; aliæ cum hominibus non manducant. Hæ sunt hæreses adversum Catholicam fidem exortæ, et ab Apostolis et a sanctis Patribus, vel conciliis prædamnatæ, quæ dum in se multis erroribus divisæ, invicem sibi dissentiunt, communi tamen nomini adversus Ecclesiam Dei conspirant.

19. *Enumerantur in specie etiam recentiores.* — Recentiores aliquæ adducuntur c. *Excommunicamus*, 13, h. t. et Clement. Ad nostrum, 3, eod. ibi: Ad nostrum (qui desideranter in votis gerimus, ut fides Catholica nostris temporibus, et pravitas hæretica de finibus Fidelium extirpetur) non sine displicentia grandi pervenit auditum, quod secta quædam abominabilis quorundam hominum malignorum, qui Beguardi, et quarundam infidelium mulierum, quæ Beguinæ vulgariter appellantur in regno Germaniæ (pro-

curante satore malorum omnium operum) damnabiliter insurrexit; tenens, et asserens doctrina sua sacrilega, et perversa inferius designatos errores.

Primo videlicet, quod homo in vita præsentis tantum, et talem perfectionis gradum potest acquirere, quod reddetur penitus impeccabilis et amplius in gratia proficere non valebit: nam (ut dicunt) si quis semper posset proficere, posset aliquis in Christo perfecto inveniri.

Secundo, quod jejunare non oportet hominem, nec orare, postquam gradum perfectionis hujusmodi fuerit assecutus; quia tunc sensualitas est ita perfecte spiritui et rationi subjecta, quod homo potest libere corpori concedere, quidquid placet.

Tertio, quod illi, qui sunt in prædicto gradu perfectionis, et spiritu libertatis, non sunt humanæ subjecti obedientiæ, nec ad aliqua præcepta Ecclesiæ obligantur, quia (ut asserunt) ubi spiritus Domini, ibi libertas.

Quarto, quod homo potest ita finalem beatitudinem secundum omnem gradum perfectionis in præsentis assequi; ut eam in vita obtinebit beata.

Quinto, quod quælibet intellectualis natura in se ipsa naturaliter est beata, quodque anima non indiget lumine gloriæ ipsam elevante ad Deum videndum, et eo beate fruendum.

Sexto, quod se in actibus exercere virtutum, est hominis imperfecti; et perfecta anima licentiat a se virtutes.

Septimo, quod mulieris osculum (dum ad hoc natura non inclinet) est peccatum mortale. Actus autem carnalis (cum ad hoc natura inclinet) peccatum non est, maxime cum teneatur exercens.

Octavo, quod in elevatione corporis Jesu Christi non debent assurgere, nec eidem reverentiam exhibere; asserentes, quod esset imperfectionis ejusdem, si a puritate, et altitudine suæ contemplationis tantum descenderet, quod circa mysterium, seu sacramentum Eucharistiæ, aut circa passionem Christi aliqua cogitarent. Nonnulla etiam alia sub simulata quadam sanctitatis specie dicunt, faciunt, et committunt quæ oculos divinæ Majestatis offendunt, et graviter in se continent periculum animarum.

20. *Recentissimæ quoque in specie recensentur.* — Recentissimas vero hæreses, et hæreticos recenset Bulla Cœnæ, § 4, videlicet, Hussitas, Wichlevistas, Lutheranos, Zwi-

glianos, Calvinistas, Hugonotos, Anabaptistas, Trinitarios, ut proin apud Catholicos nefas sit, dubitare, an hi modo recensiti sint veri hæretici, necne; dum ut tales ab Ecclesia sint declarati, ac propterea etiam, sicut et alii quicumque hæretici, eorumque receptores, fautores, defensores per eandem Bullam excommunicati.

21. *Etiam jure civili omnes censentur hæretici, qui vel leviter dissentiunt a judicio catholice religionis.* — Generaliter etiam hæreticos pulchre declarat Jus civile, l. *Omnes*, 2, c. *de Hæreticis*, ibi: Hæreticorum autem vocabulo continentur, et latis adversus eos sanctionibus succumbere debent, qui vel levi argumento a judicio Catholicæ religionis et tramite, detecti fuerint deviare. (ADNOTATIO XVIII.)

§ II.

DE COMMUNICATIONE, ET DISPUTATIONE CUM HÆRETICIS; NECNON DE PRÆDICATIONE AD EOS, ET CATHOLICOS FACIENDA.

22. *Si abest scandalum, et perversionis periculum, licite, et absque excommunicatione possunt catholici cum hæreticis communicationem habere.* — Quæritur I. An, et qualis communicatio cum hæreticis prohibita, vel licita sit Catholicis? Resp. Quamvis olim communicatio cum quovis hæretico, utpote excommunicato fuerit prohibita, tamen hodie licitum est communicare cum omnibus, notoriis quoque et manifestis etiam in Bulla Cœnæ, et alibi in jure contentis hæreticis, specialiter et nominatim non excommunicatis, si abest scandalum, et perversionis periculum. Sanchez, lib. II, *Moral.*, cap. ix, num. 3. Azorius, p. 1, lib. VIII, cap. xi, q. 1. Pirhing, h. t., num. 22 et 23, cum communi aliorum. Ratio est, quia Martinus V, in Concilio Constantiensi per constitutionem, quæ incipit, *Ad vitanda*, atque refertur a Navarro in *Manual.*, cap. xxvii, n. 35, et Sylvestro, §. *Excommunicatio*, 5, num. 7, moderando declaravit, nullam excommunicationem in posterum esse vitandam, nisi a iudice specialiter, et nominatim ut excommunicatus sit denunciatus, aut nisi si publicus et notorius percussor electus. Quæ Bulla, cum sit generalis; nullam nisi prius excipiens, et hæreticos excommunicatos: Tuam quia verba legis generaliter, et non per se sunt intelligenda. l. *de Pœnit.*, c. *de Pœnit.*, in re. action., cum

concordantiis; tum quia exceptio unius firmat regulam in contrarium, l. *In iis, quæ, ff. de Legib.*

23. *Etiam cum Lutheranis et aliis in Bulla Cœnæ expresse excommunicatis.* — Nec refert, quod Lutherani, Calvinistæ, et quidam alii hæretici nominatim declarentur, et singulis annis publice denuntientur excommunicati per Bullam Cœnæ; quia illa denuntiatio non est specialis circa aliquas personas in specie, et nominatim expressas, sed generalis duntaxat, omnes Lutheranos, Calvinistas, etc., in genere complectens, cujusmodi generalis denuntiatio vi constitutionis Martinianæ non sufficit ad hoc, ut excommunicatus sit vitandus, ut doctores citati bene observant.

24. *Possunt cum iis varios contractus, non tamen matrimonii inire, præsertim in locis, ubi tolerantur.* — Infertur proin cum iisdem doctoribus licitum esse Catholicis, præsertim in locis, ubi cum hæreticis permixti vivunt, uti in Germania, Hungaria, Polonia, etc. I. Inire, et habere cum eis civiles contractus. II. Admittere filios hæreticorum ad scholas, vel studia Catholica, non tamen e contra filios Catholicorum ad scholas hæreticorum ob perversionis periculum. III. Servire, seu famulari hæreticis. IV. Adire et visitare templa hæreticorum, ibique ritu catholico orare; quin etiam conciones hæreticorum audire ex juxta aliqua causa, v. g. ut annotentur errores prædicantis hæretici, vel si famulus comitatur dominum hæreticum, Sanchez, lib. II, *Moral.*, cap. iv, num. 26. Layman, lib. II, tr. I, cap. xi, n. 5. Azorius, loc. cit., q. 4. Pirhing, h. t., a num. 24, et alii. Matrimonium tamen inire cum hæreticis non licet Catholico, prout amplius dictum est, lib. IV, tit. I, n. 36.

25. *Ubi vero scandalum, vel perversionis periculum, illicitum est.* — Dicitur autem notanter in conclusione, num. 22, data: « Si abest scandalum, et periculum perversionis; » hoc enim alterutrum ubi intervenit in communicatione cum hæreticis, eisi alias licita, vitari de jure divino debet juxta omnes, eo quod tam scandalum, quam propriæ animæ, et peccati verum periculum jure divino vitare, quis teneatur, prout late theologo, ex illo sanctæ Scripturæ: « Qui amat periculum, peribit in illo. » Hinc in resolutione casuum circa communicationem cum hæreticis bene attendere oportet, an non exinde detur scandalum